Fiche
Diss.
3168
13
1464.



Fasc. 1164.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE

FURORE UTERINO,

Oder

Tobſucht der Weiber/

QVAM
DEO TER OPTIMO MAXIMO AUSPICE,
RECTORE HUJUS UNIVERSIT. MAGNIFICENTISSIMO,
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,
DOMINO

PHILIPPO WILHELMO,

S. R. I. COMITE DE BOINEBURG,

SACRÆ CÆSAREÆ ATQVE REGIAE CATHOLICÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO ET CAMERARIO, NEC NON METROPOLITANARUM ECCLESIARUM MOGUNTINÆ ET TREVIRENSIS CANONICO CAPITULARI SENIORE, ET RESPECTIVE SVPREMO CHORI-EPISCOPO; EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIARIO INTIMO, AC CIVITATIS TERRITORIIQVE ERFFURTENSIS PRO-PRINCIPE,
AUCTORITATE ET CONSENSU AMPLISSIMÆ FACULT. MED.
IN PERANTIQVA ELECTORALI HIERANA,
SUB PRÆSIDIO

DN. JOANNIS PHILIPPI EYSELII,

PHILOS. ET MED. DOCT.
ANATOM. CHIRURG. ET BOTAN. PROFESS. PUBL. CELEBERRIMI EJUSDEMQVE FACULT. ASSESS. ORDINAR. ET SUB-SENIORIS GRAVISSIMI,
ACADEMIÆ IMPERIALIS NATURÆ CURIOSORUM
COLLEGÆ, P. L. C.
DN. PATRONI, PROMOTORIS ET HOSPITIS ÆTATEM DEVENERANDI,
PRO LICENTIA
SUMMISQVE IN ARTE MEDICA HONOR. ET PRIVIL. DOCTORAL. LEGITIME OBTINENDIS,
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTET
JOANNES MATTHÆUS LEHMANN, HENEVVALD. LUSAT.
IN AUDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS
HORIS CONSVETIS AD DIEM VIII. NOVEMBR. ANNO MDCCXV.

ERFORDIÆ Typis JOH. HENRICI GROSCHII, Acad. Typogr.

Digitized by Google

Digitized by Google

PROŒMIUM

QVemadmodum de Spirituum animalium existentia, generatione & naturâ, apud Autores Neotericos maxima est dissensio. Ita non minor ventilatur controversia, utrum sub forma liquida, an potius vaporosa prodeant, numve succius fluidum sit, vix dirimi potest. Glissonius *liquorem à cerebro ad partes promanare opinatur*, cum quo etiam Malpighius, Borellus, Bellinus & ex Gallis Vieussens & ex Belgis *quoque alii accedere videntur; in hoc tamen inter se in diversas partes abeunt, ut alii liquidum hos ipsos Spiritus, alii id nutrimentum corporis, alii spirituum ab ipso distinctorum vehiculum asserant, quale*

itaque illud principium ſit, in Democriti puteo adhuc demerſum latet. Inveniuntur equidem, qui id ipſum cum fluidis aliis vel naturalibus, nempè aëre & igne; vel artificialibus & cum ſpiritibus Chymicorum modo conferunt, modo ejusdem naturæ pronunciant; quatenus aërem fluiditate & vi movendi atque impellendi, ignem activitate; ſpiritus Chymicorum ſubtilitate & puritate modo æquat vel antecellit; Acutiſſimus Williſius *Spiritus animales igneos & lucidos vocat, ignis enim, uti ex Phyſicis demonſtrari poteſt, non certa quædam peculiaris ſubſtantia eſt, ſed tantum quarundam partium ſingularis quædam modificatio & exagitatio, lux vero certa tantum globulorum æthereorum modificatio.* Borellus *ſulphureos iſtos non eſſe, adſtruit, quia non ſunt inflammabiles; neque urinoſi cum* Williſio; *non acidi cum* Paſcalio; *non dulces cum* Wittichio; *Dolendum itaque eſt Medicis ſummopere circa ſpiritus, in parte corporis noſtri adeo nobili, plurimarum actionum præcipuo inſtrumento, tantam in ejus natura dignoſcenda, caliginem eſſe; Aſt verò cum exhibeant fluidum ſubti-*

subtilissimum, activum & summè mobile, ex ipsis effectibus licet agnoscere; ita ut vix simile in tota rerum naturâ, cum quo comparationem admittat, inveniatur; Ut taceam quomodo vario modo modificari variasque ideas recipere & ad vitæ dies retinere soleant, videlicet horrorem & aversationem ab aqua, in Hydrophobia; meticulositatem & melancholicas cogitationes, in melancholia hypochondriaca; cynathropiam & lycanthropiam in daemonio lupino & canino. Ulterioris Probationis loco in scenam produco Furorem uterinum, in quo ideas nimis lascivas & venereas concepere, qui affectum sexui sequiori satis molestus est, cujus Examen Eruditorum placidæ exponam, ut autem omnia cedant feliciter, Divinum imploramus Numen!

§. I.

EX recepto more in nomina prius inquirere decet, quam ad realem pertractationem nos accedamus. Dicitur verò propositus noster affectus Furor uterinus, ad differentiam istius, cujus causa principalis non ipso utero, verum aut in capite, vel diaphragmate aliisq; partibus

hæret, v. gr. in phrenitide, paraphrenitide, insania &c. de Furore itaque primitus agendum.

§. II.

Propriè itaque in Scholâ Medica Furor sumitur pro specie vehementioris delirii absque febre, ita quoque hoc loco vocatur furor amatorius, seu nymphomania, quæ enim hoc affectu laborant, dicuntur furiosæ seu maniacæ.

§. III.

Variæ insuper dantur species furoris, ratione variorum symptomatum adjunctorum, alia siquidem furoris species est vel cum febri vel sine febri, alia species proindè in Phrenitide & Mania, alia in melancholia, alia in lycanthropia vel cynanthropia, alia iterum in Philtromania, Nymphomania seu Hysteromania & denique in Hydrophobia, prout nempè causæ adjunctæ variare solent: Hoc modo enim inflammatio cerebri *Phrenitidem*, Diaphragmatis inflammatio *Paraphrenitidem*; spirituum animalium excandescentia & furibundus motus *Maniam* cum feritate & furore inducit; si verò absq; furore cum desipentia, *melancholia*; Si rabiosa mordendi & dilacerandi libido adsit, tunc *Cynanthropia & Lycanthropia* aliis Dæmonium caninum, lupinum audit; Si ex adhibito seu propinato Philtro, *Philtromania* exsurgit; Si ex nimia salacitate & ovarii turgescentia, seu orgasmo spirituum genitalium, *Nymphomania*, ubi verò metus adest ab aqua, *Hydrophobiæ* insignitur nomine.

§. IV.

Patet ex his modo allatis spirituum animalium certa

certa modificatio, ſigillatio vel characteriſatio, ut pro varietate ideæ conceptæ, etiam diverſum effectum perſentiant, atque diverſa ſymptomata concomitentur; quemadmodum Phrenitis adjunctam habet febrim ardentem, melancholia verò non, in utroque tamen affectu turbetur ratiocinatio, & æger abſurda ſibi imaginetur, loquatur & faciat. Præterea qui mania laborant, iracundia, ferocitate, rixis, clamoribus ac horrendo aſpectu longè ſunt turbulentiores quam melancholici; imò hoc morbo correpti, aliquando inſtar ferarum quaſi furere videntur, ita ut inter Maniacum & brutum rapax nulla appareat differentia, obvios enim immaniter invadunt, eo usque, uti duo illi maniaci apud *Matth. c. 8. verſ. 28. & 29.* vulnerant, imò nec parentibus mordendo vel lædendo parcunt, nec ſibi ipſis, ſed ſibi violentas manus inferant; Mox iterum ſe manſuetos gerunt, intractabiles tamen ſunt cum multi loquio, ſaltant, cantant, agitantque mirè corpus, ſemper apparent aſpectu torvo & vultu tribunitio intrepido & inverecundo; Omnes tamen Maniacos perpetuò comitantur vigiliæ continuæ, & omnibus adeſt ſtupendum corporis robur & vis ferè Herculea, quam impune non provocaveris; maximum inſuper frigus, jejunia, verbera ac vulnera absque ſenſibili noxa perferre poſſunt, jurant, vociferantur & varios geſtus indies faciunt, crines ſibi ſæpè evellunt, veſtes lacerant, feneſtras ſcriniaque perfringunt, fortes enim ſunt, & vigilias ferunt intenſas, de magnis multisque rebus, rixis, contentionibus, igne

dies

dies noctesque blaterant & fabulantur; Proni sunt & interdum nunc in risum hilaritatemque, nunc in mœrorem, nunc in timorem inanium rerum labuntur; Subito temerarii, iracundi, clamosi & minaces fiunt, vincula cum catenis rumpunt, muros & fores effringunt, incredibili siquidem pollent robore &c.

§. V.

Longè alia species delirii reperitur in furore uterino, in hoc enim adest insatiabile coeundi desiderium, seu immoderatus appetitus veneris. Tantus verò in qribusdam iste est, ut omnibus pudicitiæ fractis repagulis turpiter se non modò cuivis solicitanti supponant, sed invitis etiam nunc lascivis gestibus ac verbis, nunc aliis illecebris ultrò se offerant, ast nunquam nec ab innumero virorum congressu libidinis extinctas faces sentiant, adeò ut jurares, has esse de Messalinæ turpissimæ Imperatricis prosapia, quæ juxta Poëtam:

Resupina jacens multorum absorbuit ictus,
Et lassata viris nec tum satiata recessit.

Quid, quod si voti compotes haud reddantur, bestiarum adinstar præ veneris œstro rabidarum in furorem vertuntur, nihilque aliud cogitant & loquuntur, nisi lascivia & turpissima, tandemque, ni probè custodiantur, eò desperationis veniunt, ut violentam mortem sibimet ipsis inferant. Præter res obscœnas ac impudicas hoc quoque symptoma, singulare est, nempè partium genitalium frictio, quam perpetuò moliuntur. Hinc *Joëlin sua Praxi Lib. 8. Sect. 1.* appellat pruritum

ritum uteri, quando in sequentia verba erumpit: In prurigine uteri ex pruritu & confricatione pudendi excitatur insatiabilis libido, quæ tamen ex concubitu & consvetudine virorum minimè levatur, sed magis magisque excitatur, eam ob causam, quia semen excerni nequit, (loquitur cum Veteribus, qui crediderunt, fœminas habere semen) ægrota semper habet admotas manus pudendo & salacissima est cum venerea imaginatione, coëundique desiderio contabescit & nunquam saturatur venere, nihilque aliud loquitur quam de *coitu*, corporeisque deliciis. Germani vocant **die Mutter-Wahnsucht/Tobsucht der Weiber.**

§. VI.

Recensitis nunc causis, symptomatibus furoris uterini, progredimur ad ipsam definitionem sequentem: *Furor uterinus est rationis depravatio & aberratio ab ordinaria cogitationis lege, cum immoderato veneris appetitu, continuoque coëundi desiderio, & contabescentia corporis affligens, à sanguinis & spirituum animalium orgasmo atque ferocia dependens.*

§. VII.

Genus posuimus rationis depravationem & aberrationem ab ordinaria cogitationis lege, opus itaque erit, ut nonnulla de animâ illâ dicamus, quæ secundum *Willisium* brutis animalibus cum homine est communis, & omninò à corpore dependet, cum ipso nascitur & moritur, singulas ejus partes actuat, & hujus natura, subsistentia, partibus & affectionibus explicatis, exindè cujuscunque hominis indoles, temperamentum & mores dignoscuntur, simulque

mulque plurium morborum, Phrenitidis, lethargi, Vertiginis, Maniæ, Melancholiæ, aliorumque ad hanc animam potius quam ad corpus pertinentium, cauſæ & rationes formales, aliàs occultæ, innoteſcunt. Rationalis ſiquidem anima hominis à corporea diſcernitur, quoad dignitatem & ordinem & immortalitatem. Functiones animales ſine reſpectu ad animam rationalem, inhiberi aut perverti ſolent, ita ut imaginatio perturbetur, aliæque ſuperioris animæ potentiæ pervertantur aut depraventur, adeò, ut ſpecies & notiones à ſenſu vel memoria oblatas aut perperam concipiat, aut malè componat vel dividat. Hinc perplacet *Celeberrimi Ettmülleri* judicium & ſententia de hac materia, quando videlicet *in Prax. Cap. XIV. de Deliriis* ita diſſerit: Quando depravatur ratiocinatio, ita ut à conſvetâ lege & ordine aberret, dicitur Delirium; Talis aberratio ſit ſecundum omnes tres mentis operationes: Nam 1. in ſimplicium objectorum indèque formatorum conceptuum apprehenſione v. gr. dum delirans quid pro quo, vel aliud pro alio concipit, ut, dum quendam vulgarem hominem Regem Hiſpaniæ appellat &c. 2. In conceptuum apprehenſorum compoſitione & diviſione, indeque factâ concluſione & ratiocinatione, v. gr. dum quiſpiam exiſtimans ſeſe conflatum eſſe ex butyro, ob id nolebat accedere ad ignem, quia metuebat, ne exindè incaleſcens colliqueſceret. Omnes hæ aberrationes à rectâ ratione, uno nomine Delirium appellantur. Græcis παραφροσύνη depravatio nempè rationis & aberratio ejusdem ab ordinaria cogitationis lege, quâ delira varia, ſubindè ridi-

ridicula, ſubindè etiam ſeria, ſed absque nexu & ordine & ſine fundamento confusè utplurimum proferuntur. Quod autem variæ dentur delirii ſpecies, hoc demonſtrat *Williſius in ſua Pathologia de Morbis Cerebri: Cap. 10.* dicens. Plures ſunt modi, quibus imaginatio & per conſequens mens & voluntas aliæque ſuperioris animæ potentiæ perverti aut depravari poſſunt, pro varietate ſubjectorum, ſpirituum animalium & diſpoſitionis ſeu inclinationis ad aliquem affectum hæreditarium; aliter enim modificantur ſpiritus animales in Cholericis, aliter in Melancholicis, aliter in Venereis, in ſpiritu itaque hæret varium & diverſum vitium.

§. IIX.

Patet hoc ex effectu vini: Quemadmodum enim in ebriis idem vinum, diverſa tamen ſub ebrietatis exorbitantia parit deliria, eaque diverſa in diverſis ſubjectis, dum unus fit furioſus, alius fit amaroſus, tertius fit canorus & cantans, quartus fit ſomnolentus, alius ſe æſtimat eſſe divitem, alius omnium evadit ſapientiſſimus. In talibus, utut unum ſit vinum, quod omnes inebriat, indeque etiam omnes etiam delirantes reddit, nihilominus tamen pro diverſa conſtitutione ſubjectorum, eorumque aliâ habitudine diversâ, ex M. S. craſi naturali diſtincta, & inde pro varietate ſpirituum animalium, varia & diſtincta ſunt deliria.

§. IX.

Oriuntur verò deliria omnia vel ex internâ, vel externâ cauſa, ſive habeat fomitem quendam internum in corpore ſtabulantem, vel ab externa oriantur cauſa, ſive ad aſſumpta ſive ad extrinſecus admota,

pertineant, ſive ex regno animali vel vegetabili oriantur. Talia ſunt narcotica, quæ virtute ſua fixativâ ſeu ligativâ quaſi peculiarem virtutem & certam vim obtinent, determinandi certo modo ſpiritus animales, ut pro dicta determinatione diverſi conceptus in mente formentur, indeque deliria oriantur. Secundum itaque modo citati *Williſii* mentem delirium excitatur, in quantum ſpiritus animales aut nimis irritati, aut in confuſionem acti, huc illuc intra globuloſam cerebri compagem, (ubi Phantaſia & memoria ſedes habent,) ἀτάκτως & tumultuosè feruntur; ita namque dum variæ imaginationis & memoriæ ſpecies ſimul excitatæ, invicem confunduntur, phantaſmata tantum abſurda & incongrua animæ rationali objiciuntur, & proindè tum intellectus, tum voluntatis actus ſolummodò inordinatè eliciuntur. Ob ſpiritus animales intra cerebri meditullium ſive corpus callo-ſum irregulariter commotos, ut animæ rationali, conceptus incongrui & noëmata confuſa objiciantur, pariter contingit, ac cum à diuturnâ corporis circumgyratione viſibilium ſpecies inferuntur ſenſui communi, unde omnia circumagi; modo in altum elevari, modo in primum deprimi videntur; ut nihil ſtabile & conſiſtens, in debito ſitu ac poſitione conſpiciatur.

§. X.

Quemadmodum verò in cerebro rectè diſpoſito ſpirituum animalium motus, certis quaſi numeris & modis, velut in tripudio peragitur, dum Spiritus quidam in his tractibus ſuſcitantur, alii in iis quieſcunt, deindè hi illis in motu ſuccenturiantur, &

& ſinguli cujusque facultatis actus, quaſi totidem in fluvio aquarum undulationes diſtinctæ fiunt; verum in delirio ſpiritus omnes ſimul exiliunt, & ſibi invicem tumultuoſè occurſantes, aut ſe variè proripientes, velut choreas bachanantium agunt; Porrò, quemadmodum hi intra cerebri compagem tali œſtro perciti, cogitationes multiplices & valdè perturbatas cient; ita, dum extra hujus confinia in originem nervoſam ferantur, loquelam incongruam, corporis & membrorum geſtus abſurdos, & non raro motus convulſivos producunt; Siquidem verò talis ſpirituum orgaſmus (ſecus ac in Phreneſi aut mania) ſubitò deferveſcit, & â tumultu iſtorum peracto, nulli tractus devii in cerebro cuduntur, delirium citò pertranſit, & affecti mox iterum animo conſtant, ſine relictis deſipientiæ veſtigiis.

§. XI.

Ulterius diſquirendum erit, quomodo talis furor ſpiritibus cerebri incolis inprimatur, ubi deprehendimus, quod hoc œſtrum aut ex ſanguine cerebri compagem perluente, iis immediatè conferatur, aut ſpiritus quidam animales exterius in nervoſum degentes ἀταξίᾳ, quandam primò ineant, deindè eadem cerebro per ductus nerveos communicata ſpiritus ibidem hoſpitantes pariter afficiens, in delirium ciet. Sanguis enim nimia effervescentia tumidus, aut materia peregrina ac venenata prægnans, efferas & indomitas vel malignas, & regimini animali infeſtas cerebri poris & meatibus inſinuat, uti hoc ex variis vegetabilibus manifeſtum eſt, quod ex

his unumquodque ſpiritibus ſingularem & ſpecificam metamorphoſin impreſſerit; Sicuti *Kircherus refert de peſte*; quod duo Monachi ex eſu cicutæ fuerint redditi amentes, & quidem ut cicuta iisdem impreſſerit talem imaginationem, quaſi tranſmutati eſſent in anſeres & anates, unde iſti monachi piſcinas petiere (creſcit enim propè flumina) in iisdem ſe ſubmergere & natare cœperunt; Sic quoque *Bartholetus* præparavit Pharmacum Phantaſticum, ex ſcammonio, quo poteſt determinare imaginationem ad certum conceptum & determinatam imaginationis ſpeciem; De Opio quoque conſtat, ſi frequentius aſſumtum, uti mos eſt in provinciis orientalibus, in India, in Perſia & ſimilibus quod inducat inſomnia jucunda, quaſi verſentur in viridariis, & in paradiſo ibique hilariter & jucundiſſimè vivant; Contrarium veró obſervarunt Practici in Occidentalibus & Septentrionalibus, in his enim opiata frequentius uſurpata, ſimiliavè narcotica inducunt ſomnia horrenda, quaſi vexarentur à Dæmone, quaſi vulnerentur & verſentur in jurgiis. Ita *Döringius Tract. de Opio* ubi inter alia obſervavit ab hujus uſu artificialem dementiam quandam, quâ ægri putant, ſe naufragium pati. De radice hyoſcyami hic locorum ſatis notum eſt apud hortulanos, quod radices paſtinacæ cum hyoſcyami radice ex inproviſo conjunxerint & hac ipſa delirium ridiculum induxerint. Pariter ſupra citatus *Bartholetus tractat. de reſpiratione libr. 4. cap. 3. p. 405. refert de Nucis Metellæ ſemine*, quod ſi ad certum pondus datum,

datum, lætam afferat ſtultitiam cum riſu, cum jucunda animi hilaritate, & cum inſigni liberalitate, ita ut qui ſumſerit iſtud ſemen, liberali manu omnia ſua daret & offerat, omnia occulta promulgeat, & omnia ſua delicta profiteatur, & omnibus juſſis obſecundet; E contra ſemen & cortex hyoſcyami *Peruviani*, eodem Autore referente, delirium facit Ecſtaticum, quo delirantes putant, ſe verſari in viridariis in converſatione Angelorum; E contra ſemen hujus hyoſcyami nigri infert delirium cum jurgiis & contumeliis: & ſemen ſolatri majoris dat delirium, quo ſe à Dæmonibus vexari, & à ſerpentibus ac ſatellitibus malè tractari exiſtimant. Præterea refert quoque *Döring. l. c. p. 79.* de medicamento aliquo, quo dementes fecit, & quidem ægri primò hilares, hinc iracundi, tandemque admodum mœſti facti, adeo determinata deliria vegetabilia inferre ſolent, determinando certo modo ſpiritus.

§. XII.

Præter vegetabilia etiam animalia certa & venenata certa & determinata inferunt deliria, inprimis animalia nobis dicta rabida & venenata. Quem verò latet, quomodo à cane rabido demorſi, ex delirio in mores caninos tranrformentur, ſicuti iidem ſemper hydrophobia, ſive inſigni omnium liquidorum & aquarum metu corripiuntur. Quomodo ictus tarantulæ homines ad muſicam determinet, imò ad telarum texturam, de hoc videatur *Baglivius in Tract. de Tarantulâ.* Sic etiam nota eſt rabies felina, dum quidam eſitantes de felibus, ra-

bioſi

biosi & delirantes exindè fiunt, ut instar felium unguibus se lacerent, & morsicando invicem congrediantur. Pertinet quoque huc rabies suilla & lupina, item deliria à philtris inducta, quæ habent vim determinandi spiritus animales, ut ferantur in determinatam personam, sua inclinatione, quæ fit per mumiæ naturalis confermentationem cum certo subjecto & hinc transplantationem. Patet ex his omnibus allatis, quomodo spiritus animales certo modo determinari possint, ut exindè anima rationalis tam deliros formet conceptus, & quidem à rebus foras advenientibus.

§. XIIV.

Eodem ferè modo furor uterinus seu nymphomania exoritur, quatenus nempè turgescens sperma in vasculis & vesiculis seminalibus titillationem suavem excitat primitus in genitalibus, & spiritus determinat, ut exindè fiant insomnia venerea, quibus somniando imaginantur, juvenes venerem cum formosis puellis, & in virginibus cum formosis juvenibus exercere, indeque etiam seminis excretio seu pollutio nocturna ordinario succedit, & in partibus generationi dicatis excitatur orgasmus, ita ut spiritibus animalibus nulla alia fuerint impressa vestigia, quam de ineundo conjugio, celebrandaque lascivis istis gestibus, venere. Quotiescunque enim talia vestigia repræsentantur menti, oritur etiam cogitatio de eisdem objectis, spiritus enim animales, dum motu feruntur immodico, neque anima amplius in eos obtinet imperium, Phaëtontis adinstar solares equos flectere

impos-

imponentis, in illa vestigia irruunt, quæ cum nihil nisi lasciva contineant, nil nisi lasciva quoque menti repræsentant, adeò ut mens, quatenus in cogitatione consistat, minime deliret (æque namque sana est in stultissimis quam in sapientissimis) sed in eo tantum vitium sit, quod non distinguat benè objecta simul oblata, quæ cum in furore uterino nulla alia sint, quam lasciva, oriuntur miræ illæ compositiones & sermones ægrotantibus familiares. In hoc nempè errat mens, dum putat, ideas excitari in sese à causa externa præsenti, cum excitentur revera tantum à vestigiis cerebro impressis. Ita quoque præter rationem moribundi dicuntur ratione destitui, eo quod nesciant cogitationes suas proferre, ad interrogata appositè respondere, unde non est, quod mulierculæ tantoperè clamitent eorumque misereamur, quasi omnem rationem perdidissent, cum tamen illis in casibus, mens, tanquam suo ergastulo soluta, multo felicius agat, & longè diviniora speculetur.

§. XIV.

In quo itaq; consistat talis imanis veneris appetitus, pruritus & voluptuosa titillatio in genitalibus & clitoride nunc videndum; ubi prius ex Anatomicis monendum, quod diversa organa ad hoc opus concurrant, videlicet clitoris, glandulæ uterinæ circa cervicem uteri sitæ & ipsum ovarium irritatum. Quod attinet clitoridem, per se corpus satis exile est, in multis tamen in statu præternaturali peni virili valdè analoga, constat enim duplici nervo ut in viris, oritur bifurcato principio ab osse utroque pubis, atque in utroque principio musculum satis manifestum, parvum tamen pro magni-

tudine partis habet. Adsunt præterea vasa per dorsum percurrentia, quemadmodum in virili membro, definitque in quoddam extremum, quod ceu glans videtur, & pelliculâ quâdam tegitur veluti præputio. Alii quatuor musculos clitoridi tribuunt, duo ab interno tubere Ischii, duo â musculo Sphincstere ani ad latera pudendi proreptant in clitoridem, eamque erigunt. Hujus clitoridis à Veteribus Anatomicis Nymphæ nomine venientis, usus est, pudenda, ne collabascant, sustinere, & torpentem venerem excitare; Hujus verò glans, quoniam acuto ac perceptibili sensu prædita est, non immeritò ab Anatomicis amoris dulcedo & veneris œstrum salutatur in tentiginem in nimiam molem excrescere solet, ut ad magnitudinem penis virilis extendatur.

§. XV.

Multum quoque ad hunc immanem veneris appetitum solet contribuere ovarium, quod nihil aliud est, quam corporis fœminei pars organica, in quâ continentur & generantur ova, pro formatione fœtus, à spiritu liquoris seminalis maris fæcundanda. Nihil verò obstat, quod fœminarum ova putamine tecta testaceo non involvantur, siquidem non extra corpus ut avium ova fovenda veniunt, sed in corpore fœmineo manent refocillanda, quin & in utero tanquam cortice ab omnibus injuriis tuto custodiuntur. Præter hoccè ovarium ante septem annos *Dominus D. Martinus Naboth*, Professor in arte secandi peritissimus aliud genuius se inveniisse adhuc gloriatur, ast perlustrato utero à curiosis Anatomicis vel propter oculorum hebetudinem, aut ovulorum parvitatem, aut propter eorundem absentiam non potu-

potuerunt inveniri. *Vid. Epiſtolam Problemat. Michaëlis Erneſti Ettmüller. Anatom. & Chirurg. Prof. Publ.* ad *Virum Clariſſimum Fredericum Ruyſchium Med. Doct. Anatom. & Botan. Profeſſ.*

§. XVI.

Clitoris ergò nimium quantum tumefacta atque inflammata, quemadmodum etiam ovarium à liquoris ſeminalis fermentatione nimis turgidum, uti & glandulæ uterinæ & circa vaginam tumefactæ & inflammatæ, ſpiritus animales mirificè afficere, irritare, & ad pruriginoſum furorem concitare poſſunt, ſpiritu enim inſito ac turgido & irritato, facilè & reliqui in conſortium trahuntur, quibus inflammatis, rebellibus, furientibus & quaſi igneis factis, toti œconomiæ humanæ, in ſpecie poſt animam organis rationi inſervientibus, plerumque ruinam minitari ſolent.

§. XVII.

Anſam huic accenſioni ſpirituum & ſanguinis uberrimam præbere ſolent, humores bilioſi ac corroſivi in corpore circa genitalia hærentes, facilè enim in venereo orgaſmo igneam naturam iſtos induere, nobiſcum comprobat *Clariſſimus Johannes Mayovius Medicus Londinenſis in ſuis Operibus Medico-Phyſicis p. 354.* ſequentibus verbis: Si particulæ ſalino-ſulphureæ ob ſummam tenuitatem ſuam aut propter meatus cerebri patulos, ſeu ob æſtum ſanguinis nimis intenſum in cerebrum irrumpant, ſpiritus animales in motus inordinatos concitantur, ac œconomia animalis valdè perturbatur, uti ſolet fieri in ebrietate; Quippe liquores ſulphure volatili referti, veluti ſpiritus vini aliique vegetabilium cle-

Digitized by Google

oſſi, chymicâ arte præparati, nimis properè ingeſti, morbos præ-dictos haud rarò inducunt; Pergit ulterius: Huc ſpectat obſervatio non ſemel à me facta, nempè, quoſdam noveram paroxyſmis veluti maniacis & inſuper convulſionibus corripi ſolitos, quorum ſputum, dum iſtiuſmodi paroxyſmis laborarunt, igni immiſſi inſtar olei ſeu pulveris pyrii potius ritu, in flammam prorumperet. Nimirum probabile, in dicto caſu particulas ſalino-ſulphureas adeò evectas eſſe, ut in cerebri receſſus irrumperent, ibidemque ſpiritus animales in motus violentes concitarent, quæ particulæ cum ſpiritus nimis diu effervescentes, indolem atrabiliariam malignam acquirere, ac immediatam cauſam maniæ ac melancholiæ ſubminiſtrare ſolent, idem quoque affirmat *Clariſſimus Sebaſtian Wirdig. in Medicina ſua ſpirituum c. 3. lib. 2. §. 11.* quando ita ſcribit: Deliria, præſertim ea, quæ juncta ſunt cum maxima atrocia, ortum habent ex nimia caliditate & igneitate, qualia ſunt maniaca ac Phrenetica. Caliditatem verò hanc prodit calida corporum delirantium conſtitutio, quæ tam ignea eſt, quod in clauſtris & domunculis publicis cuſtodiantur, hybernum frigus & quidem ſæpè nudi, multos annos ſine ulla corporis læſione & offenſione ferant, & quod mirandum, non frigere, ſed calere in medio frigore hyberno, deprehendantur. Eandem cauſam calidam & hinc enatam ſanguinis & ſpirituum animalium fervidam ſeu igneam ſulphureo-ſalino acrem etiam agnoverunt Veteres, quæ ad cerebrum & ad uterum delata, atque utrinq; in orgaſmum acta, proxima atque immediata cauſa habetur. Prolixius de his diſcurrere non permittit chartæ anguſtia.

§. XIIX.

Digitized by Google

§. XIIX.

Ex cauſis nonnaturalibus hoc malum exaſperare poſſunt Aër nimis calidus, ſiccus ac ſerenus, propter quem mulieres potius æſtivali quam hyemali aut alio tempore ad venerem proritantur. Hinc eſt, quod fœminæ in Gallia, quæ fruuntur aëre ſubtiliori & calidiore, & quibus inſimul natura ſolitò majora conceſſit genitalia, ſeu ovaria, magis præ aliis ad hoc horrendum ſymptoma proclives ſint.

§. XIX.

Præterea alimenta calida, acria, ſalita, aromatiſata valdè v. gr. piperata, zinziberata, aliaque venerem ſtimulantia alimenta, uti ſunt eſus cochlearum, cardui ſativi, ſuccolatæ probè piperatæ & aromatiſatæ, venerem valdè ſtimulant, ſpirituſque animales magis magiſque ad orgaſmum & furibundos motus concitant; ita ut conſentiente *Sennerto* Vinum Hippocraticum, in quo borrax fuit ſolutum, quaſdam fœminas in hunc affectum præcipitaverit.

§. XX.

Quoad potum non excludimus hic pocula amatoria Philtra dicta, quæ à permultis Autoribus amorem inſanum conciliare judicantur, ex quorum numero anturrhinum, mandragora, ſolanum furioſum, coriandrum recens, hippomanes primum locum obtinent. Triplex autem ab Autoribus ſtatuitur Hippomanes, 1. Plantula quædam Arcadiæ dicitur, quæ filix vulgò eſſe æſtimatur. 2. Eſt ſpuma genita in equæ inguine. 3. Pellicula quæ revellitur à fronte pulli equini recens editi, qualem pelliculam cum *Ceſonia Caligulæ* porrexiſſet, ſtatim eum amore inſano tentatum obiiſſe, mortem notant *Suetonius & Juvenalis*. Pertinet huc ſanguis menſtruus humanus cum leporino mixtus, ſperma viri, ſecundinæ humanæ, umbilicus infantum, teſticuli animalium ſalacium equi, cuniculorum, cerebrum muſtelæ & felis &c. De potulentis vina generoſa, Frontiniac. Seck. aliæque ▽ vit. ſpirituoſæ & aromatiſatæ, v. gr. ▽ vit. Matthioli cum Moſcho & Ambra, it. ▽ Feldheiniana, Eſſentia Satyrionis, Tinct. ambræ & Moſchi ſtimulum veneris tanquam Aphrodyſiaca excitant aliaque perplura.

§. XXI.

Insomnia de rebus veneteis, uti & vigiliæ frequentiores, præsuppositis aliis circumstantiis, frequentius huic affectui fores pandunt, sicuti & vita otiosa, de qua Poëta ita canit:

Otia, si tollas, periere cupidinis arcus.

Quæ etiam nimiis motibus indulgent, quo referuntur choreæ nimium adhibitæ, præsertim, ubi amores ficti accedunt ac blanditiæ amantium, discursus de rebus amantium, discursus de rebus venereis & lectio librorum similium der *Romainen* idem præstant.

§. XXII.

Motus nimius hic multum efficit, uti enim spiritus volatiliores & in motu concitatiores reddit, ita, ut particulæ activæ ac mobiles ex sanguine facilè extricentur; ita & spiritus ad inserviendum menti minus apti reddantur. Iræ, quæ indulgent, facilè fiunt maniacæ, præsertim si ab ingurgitatione vini superveniente, spiritus quasi accenduntur & in furorem cientur, hinc cerebri partes pulsantes maniam inducunt. Imaginationes rerum venerearum seu cogitationes libidinosæ, animum vehementer commovent & perturbant, dum personæ amantur, quarum amore frui non licet; Inde diurnus nocturnusque labor ac curæ fruendi & explendi cupiditatem; cum ergò desiderium participes fieri non possint, quid impedit; quo minus animales inquieti reddantur ac irregulariter moveantur, quibus impetuose motis, massa sanguinea simul turbatur, effervescit in corde & arteriis, & tamdiu durat hiccè furor, usque dum concepta idea fuerit deleta.

§. XXIIV.

Excretiones consuetæ mensium in Plethoricis, si remorentur, similem edunt effectum, ita enim *Hippocrates* dudum docuit, fieri has melancholicas resistente menstrua purgatione, eoque magis si uruntur amoribus. Idem quoque viduis accidere solet, dum curis & mœrore animum conficiunt; In his enim ex vehementi animi commotione cerebrum infirmatur, à liquoris quoque seminalis fermentatione & turgescentia. Ita *Regnerus de Graeff. Tract. de organis mulierum* idem asserere videtur, dicens: Gonorrhœam ac priapismum sæpius experiuntur mulieres, dum semine nempè inplentur partes genitales, libidinis ergò stimulo ita agitatæ, furias sæpè ac rabiem

conci-

Digitized by Google

concipiunt, quæ ſymptomata ſeminis excretione ceſſant. Aſſert ſimul loco probationis exemplum de ruſtico ex *Wiero*, qui filiam ſuam Amaſio clam indulgere cum animadvertiſſet, ipſam congruè vinculis obligatam caſtravit, ut erat forte ſues ſecandi peritus, unde nata amoris & libidinis oblita, rei tantum domeſticæ ſedula deinceps operam navavit.

§. XXIV.

Signa Diagnoſtica noſtri affectus ex §. V. deſumi poſſunt, quod verò attinet Prognoſin, dolendus certè & deplorandus eſt hic affectus, præſertim in familiis honeſtioribus, præſertim ſi parentes laſciviores fuerint, der Apffel fället nicht weit vom Stamme / in his enim fermè incurabilis exiſtit, & ſi nimis diu duraverit, in rabiem mutatur. Tutius judicatur delirium, quod cum riſu, quam quod cum mœrore incidere ſolet. Salutaris ſperandus eſt eventus, ſi huic morbo ſuperveniant hæmorrhoides non excedentes, uti & menſium fluxus modicus, pro beneficio naturæ nimirum habetur. Tragicus è contra erit metuendus eventus, ſi nihil horum accidat, & non ſtatim in principio vocetur Medicus: Signum lethale judicatur à *Valeſio de Taranta*. Si in brachiis, manibus, pedibus vel in facie ulcera ſuperveniant, vel etiam Hectica.

§. XXV.

Quoad indicationes curativas ſequentes erunt potiores. 1. Materia peccans & in primis viis hærens erit evacuanda. 2. Sanguinis abundantia & efferveſcentia tam per Venæſectionem diminuenda, quam per humectantia ac refrigerantia temperanda. 3. Seminis turgeſcentia inhibenda ac compeſcenda. 4. Spirituum animaliuni motus ac furor coërcendus, ſopiendus ac demulcendus. Denique Topica agmen claudunt. Talia verò remedia deſumuntur ex triplici remediorum fonte, nempe Chirurgico, Pharmaceutico & Diætetico.

§. XXVI.

Quod attinet *fontem Chirurgicum*, ex hoc primum locum ſibi vendicat VenæSectio, quâ ſolâ ſæpius Barbitonſores caſtrenſes empyricè maniacos & furore percitos curare ſolent. Requiritur verò hic largior & iterata Venæſectio; ſive hæc inſtituatur in vena malleoli, vel cephalica vel mediana, de delectu venarum enim parum ſumus ſoliciti, ſiquidem parum emolumenti affert.

§. XXVII.

§. XXVII. *Ex Fonte Pharmaceutico* commendamus Vomitoria, quæ ſaburram peccantem ex primis viis educunt præmiſſa tamen potiuncula ſequenti:

℞. *Anim. Rhabarb. Tinct. ♀ri. ana ʒj. malvatic. junip. ʒij. M. D. S. Digeſtiv-*Tränclein *pro Doſi*

℞. ♀ *Emet. Myrſ. gr. iv. Magiſter. gumm. gutt. gr. vij. ♀⊖h. ſach. cand. alb. ana ʒß. M. F. Pulv. D.* Brech-Pulver auf einmahl zu nehmen.

In deliriis furioſis valdè efficax & proficuum erit *Wolffgangi Höferi* ſequens Electuarium:

℞. *Electi è ſucco roſar. ʒvj. Manni electi. ʒiß. Extr. diacarth. ʒj. ▽ fumar. ʒj. M. D. pet Doſi.*

Pro ſcopo refrigerandi & incendium ac fervorem humorum refrænandi potiora erunt Endivia, lactuca, portulaca, nymphæa, ſempervivum majus, camphora, ſach. ♄ni in tali caſu ſequens emulſio erit valdè proficua:

℞. *Sem. cannab. ʒj. lactuc. portulac. ana ʒj. Sem. 4. frigid. maj. ana ʒj. M. c. ſ. q. ▽ flor. nymph. F. l. a. Emulſio. Edulcor. parum cum ſ. ana ehoro roſar. D. S.* Kühlende Milch/alle Stunde 2. Löffel voll zugebrauchen.

Loco cereviſiæ poteſt aſſumi ſequens Julapium:

℞. ▽ *lactuc. flor. nymph. borrag. bugloſſ. ana ʒiv. ⊖ prunell ʒij. Edulcoretur c. ſ. q. Syrup. de nymph pro grato ſapore. D. S.* Kühler Julep an ſtatt des Biers zutrincken.

Pro ſeminis turgeſcentia hujus ulterior proventus perſequentia cohibetur. *Fol. ſalic. flor. nymph. fol. vitic. vul. ſem. cannab. camphoram, magiſt. ♄. lapid. Smaragd. pulv. conch. c. Cran. & c. Clariſſ. Dn. Craan in Praxi ſua mirificè laudat ſuum pulverem contra omnem maniam.*

℞. *Opii gr. iv. Camph. ʒß. lapid. prunell ʒj. Vini generoſ. ʒiß. M. D. in Vitro. S.* Sonderliches Tränclein wieder das Hirnwüten.

Spirituum animalium motus & furor, quam primum fieri poteſt, coërcendus, ſopiendus & demulcendus per opiata ac anodyna cum cinnabarinis, inter quæ principaliora erunt Theriaca Andromachi, laud. cydon. *Langelotti.*

Tandem quoque Topica, exterius applicanda v.gr. ſequens ungventum renibus & genitalibus applicetur ter in die.

℞. ♁ *nymph. ʒj. rut. ʒiij. ſach. ♄ni ʒj. M. D. S.* Nieren-Salbe.

Ex fonte Diætetico commendamus illud Celſi; Multi morbi per abſtinentiam curantur & Syracidis: Proba quid ſanitati conducat, atque hiſce imponitur noſtræ Diſputationis

FINIS.

Digitized by Google


Digitized by Google